

1509 fossas opplevissent, difficilioremque militibus pugnandi rationem, & murum verberandi tormentariis effecissent: urbs eo die capi facile poterat. Naldius tamen & Constantius cum suis cohortibus, ab iis ubi pugnaverant locis eam noctem non discesserunt, portasque oppidi atque fossas obsiderunt. Erat unus intus civis Guidus nomine, qui, dum ea sic agerentur, magno reipublicæ amore incensus, tribus cum liberis aliquotque amicis suis prooppidi portam, quæ Berga appellatur, cepit: missoque ad Venetos, qui rem significaret, pollicereturque eis se portam illam traditurum, armatus ut eos exciperet expectabat. Legati equites Epirotas quinquaginta eo miserunt, qui rem cognoscerent, ad seque reverterentur. Guidus e summa turri visis equitibus, magna voce appellare eos cœpit, valvasque aperuit. illi se intromiserunt, paulumque progressi milites Germanos offenderunt, qui facto in eos impetu, extra oppidum, qua venerant, universos repulerunt: portaque capta, cum Guidus reliquie de superiore loco se defenderent, neque Germani expugnare illos possent, dato ab eis jurejurando nihil sibi nocituros Germanos, se se eis dediderunt; statimque omnes ad unum contra fidei religionem partim ab illis interfecti sunt, partim se e turri præcipitaverunt, atque ita interierunt. Ea nocte a Germanis concilio civitatis coacto, cum illi nihil præsidii ab animi fortitudine peccarent, timore autem prope omnia trepidationeque administrarentur; eorum voluntate legati tres e civitate ad imperatorem & legatos missi, oppidum se reipublicæ tradituros pacti sunt, ea conditione interposita; ut quibus ante legibus sub reipublicæ imperio Vicetini fuissent, eisdem etiam deinceps uterentur: Maximilianique militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur, liberumque illis esset suis cum rebus proficisci. His firmatis conditionibus Hieronymus Saornianus præfectique aliquot cum parte exercitus temperatiore mane in oppidum recepti sunt: reliquus exercitus est ingredi prohibitus, ne urbem nobilem opulentamque diriperet. Hostes eodem die Germani mili-

*Idib. novem-
br.*

*Viceria se-
Venetis de-
dit.*

tes